

279 b

XVII, 295.

3

DE CONFESSIONE
FIDEI ET DO-
CTRINÆ AVGVSTÆ
VINDELICORVM CA-
rolo V. Rom: Imperatori prælecta &
exhibita, Oratio continens ueram &
simplicem narrationem eorum, quæ
sub illud tempus de illa dicta
actaꝫ sunt, scripta &
recitata à

CHRISTOPHORO CORNERO,
*cum eius enarrationem publicè ex-
orsurus esset.*



FRANCOFORDIÆ
*ad Oderam in officina Io-
hannis Eichorni.*

Anno M. D. LXVIII

DE COPIATIONE

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

GENERIS AN-
TIQVITATE ET

splendore, doctrinae & virtutum nobilitate
praestantissimo Domino Vernhero de Schu-
lenburg, Illustriss: Principis Electoris
Brandenburgensis Consiliario &c.

Domino & amico suo
carissimo,

CHRISTOPHORVS COR-
NERVS S.



ACCESSI ANNO
superiore ad enarrationem
confessionis doctrinae &
fidei, quae à quibusdam pijs
& maximi nominis Principibus Ca-
rolo V. Romanorum Imperatori in
Comitijs Augustanis scripta est ex-
hibita: & vt Scholasticorum ani-
mos ad eam attentè atq; studiosè le-
gendam audiendamq; accenderem,
quaedam veteri consuetudine & re-

A 2 cepto

cepto more de ea præfatus sum. Qui enim aliquod in Scholis docendi munus sustinent, hoc imprimis agere solent, ut initio prælectionum auditores descripti ad cuius lectionem inuitantur, dignitate & utilitatibus commoneant. Sic namque facili negotio se effecturos esse confidunt, ut cum de illo sapienter admoniti auditores rectè & honestè sentire, ac magnas inde sibi utilitates polliceri incipiant, in eius lectionem auditionemq; diligentius incumbant. Ac notum est Socratem virum sapientissimum & præceptorem optimū iudicasse, se in tradenda virtute nō parū profecisse si ipsius saltem amorem & studium in discipulorum animis excitasset. Experimur quoque ita natura esse comparatum, ut quæ nobis sint cara & grata, ea pulcherima iudicemus esse,

esse, ipsorumq; causa nihil non laboris & molestiarum obire perferreq; cupiamus. Hoc autem iudicium talisq; animi motus præclaræ honestatis monstratione et summæ utilitatis commendatione potissimum in mentibus hominum oritur.

Quibus de causis & ego domi meæ hanc orationem per otium scripsi, & publicè recitavi: In qua primum, quare & hodie Christianos ad fidei confessionem edendam, rationemq; reddendam, quovis tempore paratos & faciles esse oporteat: & quæ res optimos Principes ad idem faciendū in amplissimo Romani Imperij primatum cōuentu compulerint exposui. Deinde institui narrationem eorum, quæ sub illud tempus Augustæ Vindellicorum de illa confessione sunt acta dictaq;: in quibus com-

A 3

memo-

memoravi quoque quanta Caroli Cæsaris fuerit in ea causa moderatio, qua fide & modestia confessionis suæ auctores totam rem egerint, quæ aduersariorum fuerint studia, quæ religionis & confessionis fortuna, quæ denique iudicia, & sermones hoc tam illustre factum, quale à condito mundo neque auditum, neque lectum est, consecuti sint.

Iudicavi quoque hunc fidelis re-
tæque narrationis rerum adolescentibus ignotarum laborẽ ipsi gratum, & earundem recordationem qualemcunq; senibus iucundam fore.

Hanc autem meam orationem primùm ad te clarissime Vernhere mitto, tuo iudicio subijcio, defensionique committo. Non enim ignoro te antiquitatis, veterum & recentiorum historiarum lectione & cognitione

tione delectari. Ac memini cum in
meam fidem & disciplinam à magni-
fico viro Domino Liuino de Schu-
lenburg, præside veteris Mar-
chiae, patre tuo, vnà cum generoso
Dn. Georgio Gans, Domino in Put-
lest compatre meo carissimo traditus
esses, & ambo me aliquot annos præ-
ceptore priuato vteremini, me vtriq;
autorem & monitorem fuisse, vt
post pietatis Christianæ studiū cum
primarum artium clementis, exerci-
tio styli & initiorum Iuris ciuilibus co-
gnitione sedulam historiarum sacra-
rum & prophanarum lectionem con-
iungeretis: propterea quòd omnium
rerum publicarum, ad quas aliquan-
do vos essetis accessuri, ciuilibus do-
ctrinæ, morum & vitæ exempla con-
tineant: & earum lectione adole-
scentes hoc assequantur, vt cum ad

A 4 cas

eas doctrinarum & usus dicendi ad-
minicula adhibuerint, in arduis &
perplexis negotijs prudentia senili
rectoq; de illis iudicio præditi orna-
tiq; esse dicantur. Ac meas tunc
monitiones apud vos locum habuisse,
vobisq; inprimis fuisse fructuosas sæ-
pè ex animo gauisus sum. Eò enim
tu, & nunc de te tantum dicam, de
Domino Putlicij verò aliàs, erudi-
tionis deueniebas, vt sapienti præ-
stantissimi patris & meo consilio in
Italicas Academias mittereris: vbi
doctissimos viros Iura & literas hu-
manitatis docentes audiuisti: multa
antiquitatis monumenta & vrbes,
regionesq; veterum scriptis celebra-
tas vidisti: mores hominum, & re-
rum publicarum varias constitutio-
nes cognouisti: quæ res tibi ad illos,
ad quos nunc euectus es honores, &
quos

quos expectare debes, non parum ad-
iumenti attulerunt. Illustrissimus
enim princeps noster Ioachimus Ele-
ctor tua eruditione, ingenij excellen-
tia, iudicio & dicendi facultate per-
motus, te inde reuersum in consilia
riorum numerum cooptauit, & gra-
uium causarum expeditionē tibi sæpè
commendat. Quam felicitatem, &
quæ familiæ nobilissimæ ornamenta
tibi tuisq; hætenus commodè gratu-
lari non potui. Hanc autem ad te
scribendi occasionē peropportunè sese
mibi offerentem negligere nolui: qua
meam hanc orationem tibi dedico &
dono: & hoc scriptum volo esse te-
stimonium meæ in te beneuolentiæ
summiq; amoris quo te complector:
et bonos omnes inde iudicare atq; co-
gnoscere, quàm tuis studijs, honori-
bus, fortunis & rebus honestè beneq;
cupiam

cupiam. Hanc itaque orationem
quamuis tenuem per otium legas,
hocq; chartaceum munus boni facias
rogo. Etsi enim illa quæ complecti-
tur tibi antea sunt audita & lecta:
eius tamen perlectione reuocabis in
memoriam illius temporis, quo lux
Euangelij apud Germanos exoriri
cœpit, & multorum animi ad eius
veritatem sunt conuersi, histori-
am. Ducet te eadem lectio in pluri-
um maiorumque rerum quàm ipsa
continet, cogitationem: admirabe-
ris ipse tantæ molis esse religionem
collapsam instaurare, contaminatam
repurgare, stabilitam confirmare &
amplificare, & nugas atque men-
dacia Diaboli toti mundo pateface-
re & conspicienda dare. Cognosces
quoque in quantis tunc boni Princi-
pes fuerint periculis, cum doctrinam
precio

præcipuis mundi gubernatoribus in-
cognitam & inuisam proferrent :
quanta benignitate **DEVS** rexe-
rit animum Imperatoris, vt nihil
superbe & impotenter pro arbitra-
tu hostium veritatis in eius Profes-
sores tentaret ageretq̃: Cognosces
denique quantis odijs animi eorum
tunc fuerint incensi, qui Euange-
lij veritatem patefieri, Pontificis
Romani coronam tangi, & mona-
chorum ventrem peti ægerrimè fere-
bant: & quanta potentia **DEVS**
suam gloriam nobis monstrauerit, in
hunc vsque diem tueatur, & in
sempiterna secula sit defensurus :
quod vt nobis omnibus sit salutare
per **CHRISTVM** toto pectore
oro. Vale feliciter præstantissi-
me vir, meam hanc opellam boni con-
sule,

sule, & me Principi Illustrissimo
nostro, & tuo patri magnifico vi-
ro submissee atque officiose commen-
da. Francophorticiſis viadrum
Calendis Septembris, Anno ſa-
lutis reparatæ,
1568.



De

De confessione fidei

ET DOCTRINAE, QVAE

anno 30. Augustæ Vindellicorum Ca-
rolo V. Roman. Imperatori est præ-

lecta & tradita, oratio continens sim-

plicem & ueram narrationem

eorum, quæ tunc eodem

in loco acta & di-

cta sunt.



REdo ego quosdam mi-
rari auditores, quare hoc
tempore ad scriptæ con-
fessionis fidei & doctrinæ
Christianæ, quæ à pijs Prin-
cipibus ante annos septem & triginta
Carolo V. Romanorum Imperatori
est prælecta & tradita, explicationem
accedam. Hos autem spero cum mei
consilij atq; facti causas cognouerint,
non solum hoc meum institutum lau-
daturus, sed eius quoque causa & pu-
blico nomine mihi gratiam habituros
esse. Sæpè enim passim multi habentur
sermones de Augustana Confessi-
one

one: eius scriptæ & editæ nomen mult-
tis est in ore: in eam sæpe in amplis pi-
orum congressibus iuramus: ad ipsam
cùm de doctrina religionis Christianæ
quæstiones mouentur & agitantur, ne-
mo est, qui se non referat: commenda-
mus denique eam, quod paucis capiti-
bus doctrinã cœlestis ueritatis uniuersæ
compositam & explicatam com-
prehendat: Hæc etsi ita sese habent:
sunt tamen pauci admodum, qui uel
ipsam diligenter legant, aut si legunt
dent operam ut rectè intelligant. Cum
autem hæc Christianæ fidei sincerio-
rem doctrinam, sacrae Scripturae con-
sentaneam, atq; à DEO doctorum ho-
minum iudicio approbatam contineat,
magnam nobis uidentur mereri & gra-
tiam & laudem, qui ut hoc scriptum sa-
num, disertum, breue & succinctum
assidue legamus, recitemus, explicemus,
& ut eius capita uel digitis nostris
habeamus notiora diligenter suadent
atque monent. Vt enim quemlibet
CHRISTO addictum de sua fide
certum esse & indubitatas sententias
tenere

tenere, fouere atq; circumferre oportet: ita multum refert atque conducit nos doctrinae eius capita habere breui scripto explicata, tanquam in tabula notata, & ita cognita perspectaq; , ut quocunq; tempore opus sit & requiratur, quilibet fidei & professionis suae certam, firmam & indubitam rationem possit reddere. Non enim raro usu uenit, ut uel nos uocemur ad disertam & perspicuam fidei confessionem, uel de capitibus doctrinae Christianae interrogemur, uel etiam malitiose accusemur, quod aut errore falsa foueamus dogmata, aut quadam ingenij petulantia malitiaq; moueamus & seramus ea, aut deniq; odio, ambitione uel auaritia moti a communi consensu & multis seculis recepta probataq; doctrina discedamus. Hic certe non conuenit nos plane ignaros doctrinae sanctae, aut ita timidos & mutos esse, ut uereamur diuinae ueritati uitandae offensionis periculorumq; causa testimonium ferre. Nam quis est tam impiae scelerataeq; opinionis atque
sectae

sectæ autor, cultor & defensor, qui dubitet eam petentibus aut iubentibus explicare, & pro ea tanquam pro aris & focis pugnare? Quanto magis nos decet, qui hanc profitemur religionem, quæ sola uera, salutaris & de cœlo profecta est, & sacrae scripturæ perpetuo consensu nititur, eius certissima & infallibilia dogmata probe perfecteque nosse: ac nihil minus uereri, quam ipsa quouis in loco & tempore ad DEI gloriam & ueritatis assertionem libere profiteri, inuitatos & impulsos tam Christi liberalissima promissione, quæ est: Qui me confitetur coram hominibus, illum confitebor ego coram patre meo cœlesti, quam D. Petri monitione iubentis, nos esse semper paratos ad respondendum cuiuslibet petenti. Ac cum sæpè dicamur falsæ impiæque doctrinæ autores esse, nostræ est innocentia & pietatis, hæc ipsius capita semper habere in conspectu, & ita animi assensione cognitioneque comprehensa, ut de singulis illis non solum nihil dubitemus, sed etiam firmas & constantes ratio-

rationes dicere & explicare queamus.
Accedit & huc quod nostrum in hac
re studium accendere debet: ut sicut
utile & necessarium est omnibus tem-
poribus testimonia & confessiones fi-
dei nostræ extare: ita nos ipsam inno-
centiam nostram apud omnem poste-
ritatem testatam faciamus, & re ipsa
falsis nos hoc tempore petiatque pre-
mi criminationibus doceamus.

Ad hanc itaque confessionis
formulam quod attinet, meritò laudan-
di sunt nobilissimi Principes, qui eam
non curiositate, aut aliqua illicita cu-
piditate, sed propter DEI gloriam
& multorum salutem studio & indu-
stria Melanthonis componendam &
scribendam curarunt: & subscriptio-
ne suorum nominum contestati sunt, se
certò credere sanæ & sinceræ Theolo-
gię præcipua in ea contineri capita: eaq;
ita uera & sancta esse, ut non dubita-
rint ipsius proponendæ & defenden-
dæ causâ prodire in conspectum opti-
mi Cæsaris, & multorum Ecclesiæ Dei
hostium, seq; multis periculis atq; di-
B scrimi-

scriniibus fortunarum, famæ & uita
ta exponere. Nec minor gratia de-
betur Luthero & Melanthoni duobus
summis & fidelissimis, qui nostro vi-
xerunt seculo currus Israelitici aurigis:
qui hac doctrina perscribenda de sua
ipsorum fide testimonium haud falsum
omni potestati reliquerunt, & nos om-
nes, quo potissimum fundamento fides
& religio nostra nitatur, quæ sint eius
præcipua & nullis seculis, nullisque ra-
tionibus conuellenda capita, docere uo-
luerunt.

Sed qua occasione, quibusque causis
piissimi uiri ad hoc confessionis scri-
ptum, tam componendum, quam pro-
mulgandum sint adducti initio consi-
derandum est: & narranda est præci-
pua historia eius temporis, quo im-
mortale hoc scriptum Carolo Impera-
tori in inclyta urbe Augusta Vindelici-
corum est prælectum, & in ipsius manus
traditum. Cùm enim in doctrina
Ecclesiæ maximæ essent tenebræ, &
omnia plena errorum atque superstitio-
num: cùm nihil uspiam de uera iustifi-
candi

candi hominis ratione doceretur: sed
homines uel ad opera, uel ad sancto-
rum merita uocarentur, Christi autem
meritorum altissimum esset silentium:
cum deniq; traditiones humanae plu-
ris fierent, quam sacrosancta Dei Eu-
angelia, & eo cæcitatibus deuentum esset,
ut qui uerus cultus debeatur Deo, quæ
sit recta consequendæ salutis æternæ
uia nesciretur: cum summum quoque
esset periculū ne plures idolatricis cul-
tibus immerfi & excæcati in æternum
ruerent exitium, quam fierent sempit-
ernæ uitæ socij: misertus D E V S suæ
Ecclesiæ instituit crassissimos illos er-
rores ipsi patefacere, & doctrinam in-
dignis modis contaminatam repurga-
re: ut constat eum singulis propè æta-
tibus fecisse: cum nunquam passus sit
totam ueritatem extinguui: sed excita-
rit semper atque miserit certos Docto-
res, qui monstratis & sublatis errori-
bus & discussis tenebris aliquam lucem
accenderent, & doctrinæ quasi facem
populo præferrent. Eodem consilio in
hac mundi Ecclesiæq; senectæ excita-

uit Martinum Lutherum virum pietate vera, linguarum & scripturae peritia, iudicio & spiritus magnitudine atque virtute clarum. Is a Deo missus, instituit errores Ecclesiae notare & indicare: nundinationes Pontificias reprehendere: vt cultus electitios & Ierusalem superstitionum non commemorari coepit quoque contra haec Ecclesiae mala magna spiritus scientia & uehementia disputare, docere, scribere, concionari, & quidem non sine ingenti fructu. Hoc namque benignitate Dei docendo monendoque consequebatur, vt homines sensim inciperent Antichristi Romani dolos, doctrinae errores & falsitatem deprehendere & cognoscere. Tunc sane, vt quae multis dici possent in pauca conferam, sanior doctrina coepit caput suum exerere, & se multis cognoscendam praebere: coepit & Romani Pontificis & asecularum eius autoritas passim vilescere: qua re tam ipse Pontifex, quam multi alij, quide eius sunt grege plurimum, & vt illi quidem putant iure sunt offensi: & suis for-

is fortunis atque dignitati timentes clamârunt hunc Spermologum, nouorum & ante hac inauditorum dogmatum autorem minimè ferendum esse. doctrinam eius omni conatu, vi, armis & igni opprimendam, & ex animis hominum radicitus extrahendam esse. His autem restiterunt præclari quidam Principes viriq; præstantes, qui ubi veritatem eius aliqua cognitione comprehenderunt, nihil sibi prius faciendum esse putarunt, quàm vt eius rei tanquam propriæ defensionem susciperent: neruos suos omnes intenderent & studia atq; consilia sua eò conferrent, vt hæc doctrina longè lateq; spargeretur & in multas Ecclesias inuitis atque repugnantibus inferorum portis inueheretur. Hæc cum initio vt fit, magno agerentur studio, verebantur, quidam sapientes, ne inde bella intestina orirentur, & communis hæc patria ingentem acciperet cladem: visum fuit ipsis cogitare de rationibus, quibus dissidia illa tollerentur, consensus in doctrina religionis firmus cõstitueretur,

B 3 &

Et ita laboranti Reipublicæ turbataeque
Ecclesiae præsens adhiberetur medi-
cina.

In hanc quoque sententiam fe-
rebatur animus Imperatoris Caroli. Is
cùm iudicaret iniquum esse & amplissi-
mo suo nomine indignum contra Lu-
theri & harum Ecclesiarum doctri-
nam sine Synodi iudicio & legitima
cognitione quicquam suscipere, non
dubitavit à Pontifice Clemente Syn-
odi denunciationem efflagitare: quam-
uis ipsum Pontifex, ut rem armis age-
ret subinde exhortaretur, & persuade-
re ei conaretur res antea iudicatas no-
uis disputationibus non esse labefactan-
das. Nam cum rebus suis in Hispania
probe compositis Imperator quinto
die Nouembris venisset Bononiam
Pontificis Romani urbem, ut ibi veteri,
recepto & graui more ab ipso corona-
retur, cœpit Pontifex etiam in amplo
Cardinalium consensu Caroli animum
à petitione Concilij, ut parum necessa-
ria auertere, & ad hanc religionem ar-
mis opprimendam accendere. Verum
impe-

impediente DEO pernicioſa eius conſilia, & ſuam ipſius cauſam aſſerente nihil impetrauit. Ipsi enim Imperator per Mercurinum ſapienter reſpondit, duas eſſe vias componendarum controuerſiarum & tollendorum diſſidiorum: vnā in armis ſitam eſſe: alteram in placida & tranquilla auditione conciliationeque uerſari: ac cū ſciant ſapientes illam, qua armis & vi omnia tentantur & aguntur magnis cum periculis coniunctam eſſe, ſæpè etiam infelices ſucceſſus & euentus triftes habuiſſe, minus eam Imperatori probari: putare eum viam & rationem hanc mitiorem his controuerſijs magis eſſe accomodatam & tutiorem: & eius ineundæ Imperatorem rationes quærere. Hæc cū Cæſaris nomine dixiſſet orator, & quare motis nouis controuerſijs hoc tempore Synodo opus ſit multis & firmis argumentis oſtenderet, interpellauit ipſum Pontifex, & dixit, eum vt in illo confeſſu talia diceret non habere in mandatis: Mercurinus verò aſſeruit ſe habere: ſtatim ſurrexit Ca-

B 4 rolus

rolus & hanc suam esse sententiam atq̄
voluntatem, seq̄ in ea quoad viueret
permansurum esse, magna grauitate &
cum multorū admiratione palàm pro-
fessus est: & sic impium consilium Pon-
tificis elusit, & animum ipsius Germa-
nicum sanguinem sitientem compe-
scuit.

Postea re deliberata indixit con-
uentum omnium ordinum Imperij
Rom: anno tricesimo ad diem octa-
uum Aprilis Augustæ agendum: in
quo potissimum de duobus grauissi-
mis negotijs essent habendæ delibera-
tiones, de religionis dissidio tollendo,
& de firmis atque diuturnis subsidijs
aduersus Turcam cogendis & submit-
tendis.

Indictis his comitijs pleriq̄, qui
à Pontificis eiusq̄ Antistitum partibus
stabant, mirificè attollebant animos:
& cum sibi præsidia Cæsaris contra
Lutheranæ doctrinæ defensores pro-
mitterent, præter multas insultationes
& conuicia, quibus Lutheranos pete-
bant, has quoque edebant & sparge-
gebant

gebant voces: breui fore vt Lutherani præsente Cæsare cōterriti deficerent animis, suæ causæ diffidentes fugerent lucem, & indicta causa à Cæsare supplices erratorum veniam peterent: sed cœcos cœcorū duces vana falsaq; opinio multum fefellit.

Statim enim Ioannes Dux Saxonix & Septemuir instituit deliberationes cum Luthero & reliquis Doctoribus, ipsorumq; confessione audita & constantia perspecta asseruit, se quoq; Dei auxilio perpetuum eius doctrinæ, quam sciret ex Prophetarum atq; Apostolorum scriptis desumptam esse defensorem fore, & ad Dei honorem & cultum, veritatisq; testimonium veram erecto constantiq; animo confessionem editurum esse, nitentem potissimum prius commemorato Saluatoris nostri dicto: qui me confitebitur coram hominibus &c. Propterea mox dedit hoc negotij Luthero, vt is summam doctrinæ suæ in certa eaq; pauca & breuia capita redigeret: qui optimi Principis voluntati gerens morem eā

B 5 in

3
in decem & septem capita mira arte &
breuitate inclusit. Luthero autem ad-
iungebatur Philippus Melanthon tan-
quam Aaron Moyſi Prophetæ confi-
lio Dei summo. Namq̄ vt Aaron
erat fratris ſui orator coram Rege Ae-
gyptiaco, & Moyſes Aaronis erat Pro-
pheta & Dux, quorum linguas ὁ λόγος
filius Dei gubernabat: ſic Princeps
inclytus Elector voluit Philippum eſſe
Lutheri Aaronem. Hic Lutheri fidus
παρασάτης & focius poſtea cū eſſet
Auguſtam ventum ex illis ſeptemde-
cim capitibus Lutheri hanc confeſſio-
nem extruxit, vt iam iam dicturus ſum.

Inde verò Theologi Lutherus,
Philippus, Ionas, Islebius & Spalati-
nus Torgam euocati ſunt ea hebdoma-
de, qua de paſſione & morte I E S V
CHRISTI ſolenni more pioq̄ in-
ſtituto populus doceri ſolet: & mox
Coburgum verſus præmiſſi ſunt: ſed
graui tunc conſilio, multiſq̄ de cauſis
conſtitutum eſt Lutherum nō eſſe vnā
ad Comitiam ducendum, ne forte ipſius
præſen-

præsenia & conspectu aduersarij magis offenderentur, & bonæ causæ aliquid noceretur. Relictus est itaq; iter ingredientibus cæteris Lutherus in arce Coburgensi, quæ est in finibus ditionis Ducum Saxoniam, & ab Augusta circiter triginta milliaria abesse dicitur: demandatum est quoq; ipsi, vt intra eam sese contineret, nullos ad se admitaret, & eo in loco consisteret, vnde posset tempestiuè vel Augustam adduci, si ita videretur, vel etiam de rebus controuersis consuli.

His ita constitutis dedit se quoque in uiam Princeps Elector cum filio Ioanne Friderico, & præter multorum opinionem & expectationem primus omnium venit Augustam, ibiq; libere & intrepidè per suos & piorum Principum verbi Dei ministros Euangelium prædicandum curat: quamuis hoc ipsius factum non perinde omnibus, qui tunc eò cõfluxerant probabatur. Multi enim ea re valde turbabatur, concurrebant sæpè, conferebant capita &

& occulta inibant consilia: quibus etiã
hoc effecerunt, vt cum Cæsar pridie
corporis Christi magna pompa splen-
didoq; comitatu & apparatu ingressus
esset vrbem, illo ipso die sub vesperum
mandatum sit Electori Saxonico & cæ-
teris Principibus ne sinerent posthac
concionatores suos publicè docere: hoc
primum quidem agrè ab ipsis impe-
trabatur: & magno animo claraq; voce
laudatissimus senex Georgius Mar-
chio, fertur dixisse: se malte in conspe-
ctu Cæsaris necari, quàm non Christi
nomen & gloriam liberè profiteri: po-
stea tamen consilio Lutheri non mul-
tò ante dato, & suasu voluntateq; præ-
sentium Theologorum conclusum est,
Cæsaris edicto esse parendum: eò quod
non conueniret, vt ipsi hospites in ciui-
tate, quæ esset Imperatori Romano
subiecta suo quodã iure vterentur: &
dictum est, quemlibet in sua ditione
posse pro arbitratu suo omnia ordinare.

Ne quoq; videretur Imperator
suis partibus nimiũ tribuere in aduersæ
factio-

factionis odium, publico decreto est quoque significatum, non solum certa poena prohiberi conciones publicas, sed etiam Imperatorem velle, vt Pontificij concionatores praeter Euangeliorum & Epistolarum lectiones & recitationes nihil aliud explicationis loco adderent. Ita non poterat videri his plus concessum, quam illis ademptum esse.

Visum autem tunc fuit Principibus, sicut & iussi erant sententiam suam de Religione scriptis demonstrare: & iniunxerunt singuli suis Theologis vt aliquid de ea scriberent: sed quia scripta compluscula adferebantur, neque omnia ita composita erant, vt commode singula possent Imperatori exhiberi: quauius in doctrinae fundamento nihil dissentirent: idcirco vt aliquod certum et omnium iudicio approbatum esset quod publice proponeretur, datae sunt partes Philippo Melanthoni, vt cum Lutheri & reliquorum scripta inspexisset, ipse hanc, quam modo habemus confessionem inde conficeret: quam sane tanta
compo-

composuit simplicitate, fide & studio,
vt cum illa ad Lutherum esset missa, non
solum ipse valde eam laudavit, sed etiam
scripserit Electori Saxonico sibi totam
cum Apologia eiusdem Melanthonis
probari, & a se eam tanta moderatione,
lenitate styli & perspicuitate scribi non
potuisse. Hanc quoque placuit non
Theologorum, sed principum nomi-
nibus subscriptis edi & confirmari, vt
plus splendoris & autoritatis tota actio
haberet. Porro quæ Carolus die Cor-
poris Christi egerit, qui Principes pom-
pæ & circumgestationi consecrati panis
adesse noluerint, quomodo in missa
publica Elector Saxoniae, qui propter
officium eò vocatus erat, se gesserit,
nunc commemorare nolo. Venit is ad
missæ sacrificium iussus & vocatus, co-
mitante ipsum Marchione Georgio:
sed venit non tam propter idolatricum
cultum, quam vt gestando gladio Ar-
chimarschalci partes tueretur die 20.
Iunii. Ac tunc vbi de templo finitis
sacris conuenerunt ordines in Curia fa-
ctum est actionis initium: & Frideri-
cus

cus Palatinus quædam est præfatus, ac
de more longa oratio Cæsaris nomine
est recitata.

Die verò Junij 24. in frequen-
ti Principū confessu Campegius Pon-
tificis legatus præfente Cæsare graui
oratione omnes ad consensum Religio-
nis est exhortatus, illisq; fidem & ope-
ram suam promisit: addidit quoque se
iac de causa id ex animo optare, vt re-
conciliatis animis commune bellum ad-
uersus Turcam susciperetur. Eadem
iura aderant quoque legati Austriaci,
qui magnas & acerbis querelas de dam-
nis à Turca acceptis adferebant. Tunc
quoq; commodā occasionem captan-
tes & arripientes surgunt illustrissi-
mi Principes Ioannes Elector Saxonie
um filio Ioanne Friderico, Georgius
Marchio, Landgravius, fratres Lune-
urgici, Anhaltinus & Norinbergen-
ium Reutlingiq; legati, & petunt sup-
plices, vt Cæsar in amplissimo conuen-
tu confessionem suæ fidei & doctrinæ,
hoc enim titulo ipsam dignati sunt,
breui scripto comprehensam audiat:
Cæsar

Cæsar iubet eam scriptam dari & apud
se deponi: ipsi verò magna cõtentione
efflagitabant eã publicè audiri, quòd in
eo negotio de sua existimatione, for-
tuna, sanguine, vita & salute ageretur.
Tandẽ cum precandì vrgendiq; finem
nõ facerent, impetratũ est, vt ea postri-
die in Episcopi Augustani aula recitare
tur. Die ergo vicesima quinta Doctor
Christianus Beier, eã vt nunc habetur
scriptã voce ita clara recitauit, vt in vi-
cinis etiam locis audiretur. Inde Pon-
tanus duo exempla Latinum, quod præ-
lectum est, & Germanicum per Alex-
andrũ Schuueis, volebat Archiepisco-
po Moguntino Imperij Cancellario
primario & Germanico tradere: sed
Imperator ipse sibi eã in manus dari po-
stulauit: & mox per Fridericum Pala-
tinũ se de tota controuersia accuratius
deliberaturũ promisit: Principes quo-
que se ad vberiore declarationem si
quid fortè in eo scripto minus perspi-
cuè dictum videretur obtulerunt, &
sibi prouocationem ad Synodum ge-
ralẽ si controuersie tunc nõ compone-
rentur, saluã esse voluerunt. Hoc

Hoc est diuinum illud factum, quod
omnium temporum & ætatum scripto-
res perpetuis præconijs celebrabunt, &
angeli Dei in omni æternitate laudaturi
sunt. Quid enim fieri potuit augustius
et religiosius, quàm paucos Principes in
splendidissimo procerū Roma. Imperij
conuentu talem profiteri doctrinā, quæ
etsi est ipsa veritas, ipsis tamen multas
offensiones, odia, pericula vitæ & bono-
rum videbatur creatura esse. Rectè ve-
reque dici profectò potest iam inde à tem-
poribus Apostolorum, ne dicam à con-
dito mundo simile factum neque visum,
neque auditum, neque lectum esse. Hiero-
solymsis stabant Apostoli duodecim, do-
nati Spiritus sancti gratia & virtute, ac
mira constantia simplicitateque corā Pon-
tificibus, Phariseis & toto Iudeorum se-
nату nomen Christi docebant & profite-
bantur: Illum qui à Iudæis esset affi-
xus cruci verum Messiam esse dicebant:
magna vocis libertate eorum impietatē
& cœcitatē damnabant veras Pente-
costes ferias celebrantes. Hoc verò tem-
pore prodierunt in conspectū hostium
C sacræ

facræ doctrinæ non concionatores ho-
mines abiecti & contempti, sed princi-
pes in nobilissimis familijs nati: qui agni-
ta veritate Euangelij verorumq; cultuū,
& detecta Romanæ Ecclesiæ Idoloma-
nia & impietate, nihil prius ardentiorq;
zelo fecerunt, quàm vt se veritatis eius
perpetuos defensores, & omnium erro-
rum & deliramentorum Pontificiorum
inimicos profiterentur, ac concordi vo-
ce ad vnum omnes assererent & clama-
rent, solum IESVM CHRISTVM, qui sit vera
solâq; fide apprehendendus esse, mundi
huius saluatorē: solū illū satisfactione sua
nobis remissionem peccatorum, iustici-
am & vitam æternam meruisse & com-
municare: frustra quicq; in iustificatio-
nis negotio nostris viribus, operibus &
meritis tribui: & quæcunque ad hunc
Christum, legis finem nos nō adducunt
mera esse mendacia, & figmenta huma-
na. Omitto plura capita doctrinæ nostræ,
quæ hoc in loco prolixius non sunt com-
memoranda. Ea enim ex hoc confessio-
nis scripto facile cognoscetis: & mea
nunc oratio ad quædā alia, quæ dicenda
sunt

sunt, properat. Peto itaq̄, vt quæ confes-
sionem hanc constanter editā secuta sint,
& qua ipsa fuerit fortuna v̄sa, equis quo-
que animis & patienter audiatis.

Habuit ea duo auditorum genera :
Non enim tunc pauci eam & attentē au-
diuerunt & magno consensu approbā-
runt : sed fuerunt quoque multo plures
ipsius obtrectatores, calumniatores &
infēssissimi hostes. Ea quoq̄ tacitæ mul-
torum cogitationes, falsę suspitiones &
impiæ molitiones patefactæ sunt. Persua-
serant sacrificuli multis à cōdito mundo
non esse pestilentiozem heresim Luthe-
rana excogitatam & ortam : hæc opinio
multorū quoq̄ mentibus infederat. Ac
constat in quodam colloquio Alphon-
sum Hispanum Caroli Cancellarium di-
xisse Melanthoni in omnium Hispano-
rum ore esse, & à plerisq̄ Monachis do-
ceri, Lutheri tantam esse impietatem, vt
ne in Deum quidem credat : neget Tri-
nitatem, & Christum, Mariamq̄ matrē
eius omni adficiat contumelia. Neq̄ ig-
noramus multos in Germania passim
oberrantes Monachos docuisse à Lu-

thero. eiusq; auditoribus & collegis tolli magistratū legitimū, bona reddi communia, matrimonium, bonas artes, et omnes salutare atq; necessarias ordinationes reprehendi, damnari, tolli: ipsius quoque Ecclesias atq; doctrinas ab Anabaptistarum colluue & aliorum erroribus furoribusq; omnino nihil differre. Spangebantur quoq; in uulgus multi maledici & calumnijs referti libelli, quibus non Luthero tantū falsa crimina obijciebantur, sed totū quoq; doctrinæ genus horrendis conuictijs petebatur: quod eo tantum fiebat consilio, ut Cæsaris & procerum Imperij animi exasperarentur & in huius confessionis autores accenderentur. Verum hac diuulgata & cognita, nō potuit malicia Sophistarum & Monachorum sese amplius contegere. Nam variæ multorum Principum animos cogitationes subierunt: nōnulli quoq; cum suis Theologis acerbè exostulabant: ut nota est narratio de Vilhelmo Duce Buarico: hunc ferunt dixisse Doctōri Eccio, se antea longè alia ex ipso de Lutheranis audiuisse, quàm tunc de doctrina
in

in Ecclesijs Saxonis sonante cognouisset.

Cum uero hanc confessionem ab Imperatore acceptam reliqui principes inspexissent & perlegissent tradiderunt eam suis Theologis. Erant Pontificia partis viginti Theologi, quibus demandabatur, ut de hoc scripto ipsi rigida censuram agerent, & illud sacrae scripturae autoritate, si ipsis minus probaretur refutarent, & eadem suam doctrinam firmiter verioris esse docerent. Hos aiunt libere confessos esse, illud nullis Prophetarum & Apostolorum testimonijs posse euertere: esse autem multa Patrum & Ecclesiae doctorum scripta, multa Conciliorum decreta, quae ipsi recte opponantur: quo ipsorum testimonio quam sit Pontificiorum doctrina infirma, & ab Euangelij veritate aliena, quis non satis perspicue doceat? Ac quamuis ipsi se iugulabant gladio, & inuiti veritatem profitebantur: iussi tamen sunt refutationem scribere. Suscipiunt ipsi negotium, & in illud magno incumbunt studio: sumunt sibi integrum mensem ad illud, si

dijs placet, rectè, sobriè, doctèq; confici-
endum. Verum cum nimiū cunctaren-
tur, iussi sunt opus maturare: quod tandē
aliquando absolutum tradiderunt Impe-
ratori. Aiunt eos trecentas pagellas me-
ris conuitijs & criminationibus comple-
uisse, eoq; maledicendi studio offensum
Imperatorem in ipsis maiorem modesti-
am desiderasse: & dixisse, de quadā alia
leniore placidioreq; via scribendi esse co-
gitandum. Quamuis autem veritatis ora-
tio simplex esse debet, & multa in ea re-
futatione essent partim suspecta, partim
odiosa, partim ad rem non multum faci-
entia: est tamen Pontificiorum autorita-
te res eò deducta, vt illa quoq; publicè re-
citaretur & audiretur. Audiuerunt tunc
pij Principes animo patienti scripti eius
odio dignam acerbicatem & manifestam
falsitatem atq; calumnias detestandas, &
magna in eo confessu moderatione sunt
vsi: cum scirent nihil fictum & simulatū
esse diuturnum, & confiderent breui fo-
re, vt lux veritatis habentis Deū, qui est
ipsa veritas, defensorem potentissimū,
toti mundo illucesceret: & hac de causa
graues

graues & non paucas molestias aliquan-
tis per deuorandas esse iudicarent.

Recitata illa refutatione surrexe-
runt Principes Saxonici, & petiuerunt
ipsius exemplū, vt ad singula capita com-
modius & verius responderi, eorumq;
falsitas perspicuē demonstrari posset: sed
initio nihil impetrarunt: postea vero in-
digne ipsis recusationē ferentibus post
biduū positę sunt quedā conditiones ad-
modum durę: & est additum, si eas ini-
rent posse fieri vt scripti eius copiā con-
sequerentur: conditiones fuerunt: ne-
quid eorū, quę in toto scripto contine-
rentur diuulgarent: nihil eorū typis ex-
cuderent: adiecit quoq; Cæsar se post-
hac nullam disceptationem admissurum,
et petebat, vt reuerterentur ad eos à qui-
bus discessionem fecissent. Hęc con-
ditiones cum iniquę et impossibiles ipsis
viderentur, maluerunt scripto exemplo
carere, quàm repugnante conscientia &
Euangelij veritate mendacijs patrocina-
ri. Quę ergo sit purioris Ecclesię fortu-
na semperq; fuerit etiam de hoc exem-
plo non potest obscurum esse. Vix po-

C 4 tuerunt

tuerunt primum confessionis Augusta-
nae autores impetrare, vt audirentur:
adeo inuisa tunc erat summis gubernato-
ribus lux & confessio veritatis: postea
non tantum eorū valuit autoritas, vt re-
citate refutationis exemplum auferrent:
adeo tunc cœci homines & Pontificio-
rum erroribus dementati, humana som-
nia & mandata amplexi sunt: cum nihil
minus tenerent, quàm regulā discernen-
dæ veritatis diuinæ, verorumq; cultuū à
commentis & superstitionibus hominū.
Ego fanè aliam tergiuersationis huius
causam videre non possum, q̄ quòd ipsi
sibi non constiterint, quòd suæ causæ dif-
fisi sint, & quòd Satan fugiens lucem,
veritus sit, ne Scholasticorū errores &
Pontificum doli opinione citius detege-
rentur. Sed parum ipsos iuuit odiosa ter-
giuersatio & subdola recusatio. Nā quo
vehementius veritatem atq; virtutē pre-
mimus eamq; tollere conamur: hoc for-
tius ipsa insurgit, & sese effert: Et Lu-
therus dicere solebat, eam esse vim & ef-
ficatiam verbi, vt in maximis persecutio-
nibus primum florere & crescere con-
spiciatur. Erant



Erant quidem singula capita refutationis Theologorū à quibusdā scribis & alijs bonis & doctis viris partim mediocriter excepta & notata, partim memoria comprehensa: ne quid tamen si eius falsitas omnium oculis subijceretur, dictum esse negaretur, exemplum initio fuit postulatum. Postea magnus ille Melanthon paucos intra dies ad singula instituta refutationis capita, nouo peculiariq; scripto, quod Apologiae nomen habet, & confessioni nostrae solet adiungi, optimo respondet ordine, eaq; cum multorum admiratione doctè et perspicuè refutat: nonnulla quoq; copiosius explicat & confirmat, & aduersarios in loco vehementius vrget. Hanc Apologiam iussu Principum Pontanus quoq; in manus tradidit Imperatori: sed Ferdinando ipsi aliquid in aure insusurrante ipse eam Pontano reddidit.

In illo suo scripto Theologi Pontificij quosdam nostrae confessionis articulos confixos & seuera censura damnatos penitus reijciebant: cuiusmodi sunt, quod asserimus, bona opera non mereri remis-

C 5

sionem

tionem peccatorū: iustificationē homi-
nis peccatoris soli fidei rectē tribui: ec-
clesiam esse coetum sanctorum: neminē
pro peccatis suis satisfacere: diuos mor-
tuos pro nobis non intercedere, neq; in-
uocandos esse, & id genus alios, qui in
scriptura sacra sunt loco demonstratio-
num: quosdā recipiebāt, sed cum modo
quodam: vt agentes de caeremonijs &
asserentes dogma de presentia corporis
& sanguinis Christi in Coena: sed falso
addebant fieri mutationem (quam ipsi
transsubstantiationem nominant) panis
& vini in corpus & sanguinem Christi:
& tantum sub vna specie dari & accipi,
quantum sub vtraq; arcanam confessio-
nem probabant, si ea certo anni tempore
fieret, pœnitentiam tempori alligantes,
& nō excluderet delictorum enumera-
tionē: & in hoc erant toti vt propositis
capitibus contrariā prius assererent, quā
sua dogmata scripturæ testimonijs con-
firmarent.

Cum autem viri sapientes animad-
uerterent eam refutationem non ita esse
conscriptam, vt exoptatæ compositioni
utili-

vtiliter seruiret, noluerunt eā proferrī
in publicum: sed elegerunt primum v-
trinque septenos Principes & Doctores:
inde numero contracto ternos viros, qui
compositionis rationes inirent: cū ve-
ro tentatis omnibus inter eos de præci-
pui capitibus nō conueniret, vt ne po-
tuit quidē, ab omni actione est cessatum.

Interim verò quāuis misera illa et mi-
rabiliter confuta refutatio parū esset fir-
ma: quidā tamē Monachi gloriabantur
& clamabant confessionē nostrā sacrarū
literarum autoritate & pronunciatīs ita
esse refutatam vt impossibile sit eam di-
utius consistere. Nonnulli quoque Princi-
pes tantis clamoribus confirmati aude-
bant dicere, confessionis nostræ defen-
sores cogēdos esse, vt ab ea discederent,
quam magni Theologi nihil plane robo-
ris & veritatis habere assererent. Caro-
lus autem vt in toto illo conuentu omnia
moderatē, ita in religionis negotio nihil
insolenter & cupidē agere voluit, per do-
ctiores quosdam Episcopos & Princi-
pes autoritate & eloquentia summa præ-
ditos varijs rationibus & vñs sollicitabat
prin-

Principum protestantium, vt ipsi volue-
runt dici, animos ad defectionem ab ex-
hibita confessione & ad palinodiam: gra-
uiter quoq; ipsos obiurgabat & accusa-
bat, quod pauci numero Principes ab Ec-
clesiæ Romanæ recepta & multis iam se-
culis tranquille conseruata doctrina di-
scensionem facerent: singulare & plane
nouū et ab omnium primatū atq; ordinū
totius Christianismi fide & professione
alienum genus proferrent & constan-
ter assererent. Monebantur quoq; gra-
uiter & rogabātur vehementer & com-
minationibus vrgebantur, vt tandiu
saltem ad Ecclesiam redirent donec con-
cilium cogeretur, quod breui in Germa-
nia pium & liberum esset futurum: da-
rent quoq; aliquid temporis, ne intollera-
bilis & perniciosæ commotionis auto-
res viderentur. His Principes Euange-
lici respondentes negarunt se à Christia-
na Ecclesia discessisse, & tueri doctrinā,
quæ Euāgelio & Ecclesiæ catholicæ re-
pugnaret: promissionem de cogendo
concilio gratis animis acceperunt: &
addiderunt salua se conscientia facere nō
posse,

posse, vt dogmata & ritus Ecclesiae Romanae reciperent: ad reliqua vero omnia, quae extra fidei doctrinam quouis modo fieri possent, se Caesari totiq; Imperio omni obsequio, opera & studio praesto fore promiserunt.

Cum itaq; Principes confessores in sententia recta firmi & constantes permanerent factum est decretum a Pontificijs, quod non multo post quoq; est recitatum. In eo erat quoq; scriptum confessionem hanc scripturae locis esse refutatam: & addita erat publica monitio, vt omnes eandem profiterentur fidem donec denunciaretur concilium. Sed Principes Saxonici contra dixerunt suam confessionem verbi Dei testimonijs & fundamentis niti, nihil in ea impium haberi, nihil quod villo scripturae loco recte explicato & intellecto conuelli posset inueniri: quam autem Pontificiorum refutatio esset infirma falsaq; Apologia sua in maximis occupationibus & temporis angustia scripta facili negotio doceri posse: idq; se multo clarius & euidentius facturos fuisse, si recitatae refutationis

onis

onis exemplum potuissent impetrare:
nihilominus tamen suæ doctrinæ veri-
tatem, & Pontificiorum somnia atq; im-
posturas inde satis patere & conspici.

Quamuis etiã tunc Fridericus Palati-
nus & Ioachimus Brandenburgicus, Ele-
ctor, optimi Principis nostri pater, vir pa-
cis amantissimus multa grauiter & splen-
dide publico suoq; nomine apud ipsos
dicebant: ea tamẽ eiusmodi nõ uidebãtur
esse, quæ à veritate cœlestis doctrinæ &
recto pioq; proposito ipsos abducerẽt.
Omnes enim vno ore profitebantur su-
am doctrinam confessionis exhibitæ ca-
pitibus comprehensam inuictam & ipsif-
simam Dei veritatem esse. Ac tandẽ di-
cendi disputandiq; finem facientes addi-
derunt, se rem omnem Deo iusto, vera-
ci & misericordi committere, qui dubio
procul suam ipsius causam ad sanctissimi
sui nominis gloriam, in æternæ veritatis
honorem & Ecclesiæ suæ salutem actu-
rus esset. Hæc est immortalis illa confes-
sio, quæ omni tempore, quo Deo æter-
na colligetur Ecclesia decantabitur ad
DEI gloriam & veritatis defensionem
ipsti

instituta, & quidem promulgata in ter-
tio festo tubarum, quo vox diuina est
audita, et Dei Philomela suauissime ipsi-
us laudes cecinit circiter ferias Baptistæ,
quem constat eandem doctrinam ad Ior-
danem in festo tubarum altero celebraf-
se & pœnitentiam ac remissionem pec-
catorum in nomine Christi prædicasse.
Hic verè Dei filius suam mundo gloriã
& potentiam iterum patefecit. Durat
enim hæc confessio in hunc vsq; diem,
& in sempiterna durabit secula: huic ce-
dunt omnia: in eam conatus omnes sunt
irriti: fremyt Satan: fremunt portæ infe-
rorũ, fremit totus mundus, sed frustra:
ac quamuis multi in eam multa cogitant,
tentant, agunt & moliuntur: se tamen
virtute Dei superari, veritate vinci & re-
ipsa vt Euangelio Christi dent locũ co-
gissentiunt. Propterea nonnulli gratia
Dei incipiunt modestius de nostra do-
ctrina iudicare, & in nostras partes incli-
nare. Narrari quoq; solet de Carolo
quòd initio disputationum dixerit, oport-
ere hanc doctrinam plus fidei & firma-
menti habere, quàm vulgo putetur: &
idcirco

idcirco eum multa moderatè, nonnulla
inuitum fecisse: neq; desunt qui scribunt
ipsum in vera agnitione Saluatoris, què
vnicum hæc confessio proponit & mon-
strat, placide decessisse. A Domino fa-
ctum est hoc, & est mirabile in oculis no-
stris. Is enim miris rationibus veritatem
suam ignotam mundo, omniq; humano
præsidio destitutam patefacit & prote-
git, & Christi sui gloriam contra omnes
insidias & tela Diabolorum tuetur cui
Deo nostro soli, viuo, misericordi, omni-
potenti & æterno pro immenso benefi-
cio nobis in hac vltima mundi ætate
communicato sit laus, decus

honor & gloria sem-
piterna,

A M E N.

2/3 3490


ULB Halle


3

003 012 972



mc





B.I.G.

Farbkarte #13

3

DE CONFESSIO NE
FIDEI ET DO-
CTRINÆ AVGVSTÆ
VINDELICORVM CA-
 rolo V. Rom: Imperatori prælecta &
 exhibita, Oratio continens ueram &
 simplicem narrationem eorum, quæ
 sub illud tempus de illa dicta
 acta sunt, scripta &
 recitata à

CHRISTOPHORO CORNERO,
cum eius enarrationem publicè ex-
orsurus esset.



FRANCOFORDIÆ
ad Oderam in officina Io-
hannis Eichorni.
 Anno M. D. LXVIII

